MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80479-23

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

MOMMSEN, TYCHO

TITLE:

TYCHONIS MOMMSENI EXERCITATIONES...

PLACE:

FRANKFURT

DATE:

1865

Master Negative #

92-80479-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8 Mommsen, Tycho, 1819-1900.
v.4 Tychonis Mommseni Exercitationes Sophocleae, eiusdem De scholiis Pindaricis epimetrum... Frankfurt am Main, Brönner, 1865.
32 p. 23 cm.

At head of title: ...Zeight die oeffentlichen prüfungen und die progressions-feierlichkeit des Gymnasiums...an Dr. Tycho Mommsen...

200980

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/12/92 INITIALS TM.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88SE No.4
Z8

Mit höchster Genehmigung

Eines Hochwürdigen evangel.-luther. Consistoriums

zeigt die

Oeffentlichen Prüfungen

und die

Progressions-Feierlichkeit

des

Gymnasiums

ehrerbietigst und ergebenst an

Dr. *Tycho Mommsen*,
Director und Professor.

Tychonis Mommseni Exercitationes Sophocleae.
Eiusdem de Scholiis Pindaricis epimetrum.

Schulnachrichten.

Grünberg.

Frankfurt am Main.
H. L. Brönner's Druckerei.
1865.

1.

In nobilissimo illo chorico primo Oedipi Regis ut sub exitum mutilata atque turbata metrorum ratio plurimorum et doctissimorum hominum sagacitatem frustra exercuit, ita cum alii sunt naevuli quorum prorsus vereor ut quae temptata est emendatio legentibus satisfaciat, tum minime soluta est quaestio de hisce duobus versibus tertiae strophae:

τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἐπ' ἆμαρ ἔρχεται.

Praecedunt supplicationes averruncandae pestilentiae vel potius Martis qui eius personam gerit avertendi et deturbandi:

Ἄρεά τε τὸν μαλερόν, ὃς νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων
φλέγει με περιβόατος ἀντιάζων,
παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι πάτρας
ἄπουρον, εἴτ' ἐς μέγαν θάλαμον Ἀμφιτρίτας,
εἴτ' ἐς τὸν ἀπόξενον ὅρμον,
Θρῄκιον κλύδωνα.

reditque carmen, illis duobus versibus interiectis, ad eundem deum bellatorem ita

Τὸν, ὦ [τᾶν] πυρφόρων
ἀστραπᾶν κράτη νέμων,
ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ.

Ubi voculam τέλει, quae transitum parat quaeque non immerito interpretibus offensioni fuit, sive cum Lipsiensi Scholiasta pro διὰ τέλους usque quaque, sive cum Elmsleio aliisque pro τελέως, ἀτεχνῶς, absolute, omnino accipiendam et cum utroque ad ἔρχεται referendam, sive denique eam cum Laurentiano ἐπὶ τῷ ἑαυτῆς τέλει, usque

ad finem noctis interpretandam et ad ἀφῇ applicandam esse censemus, quarum interpretationum nulla ne sermonis quidem usu comprobatur, quid tandem lucramur? Nihilo minus illa verba interiecta quum nihil quae ad Martem pertineant afferre videantur utrimque male cohaerent et ut nimis generalia per se frigent. Nam haec est interpretatio Scholiastae Lipsiensis:

Usque enim, si quid Nox dimiserit, id Dies invadit;

quam in peius etiam corrupit Elmsleius, quum „omnino“ substitueret, quod et per se languidum et in hoc genere carminum atque in principio enuntiati positum intolerabile est. Neque alter Scholiastes melius:

Usque ad finem suum si quid Nox servaverit, id interdiu perit.

etiam si recesseris ab eo quod ἐπ' ἄμαρ (vel ἐφ' ἡμέραν, quod est in singulos dies, singulis diebus, quotidie) pro μεθ' ἡμέραν usurpatum haut facile reperias. Fac autem ab his seorsum sentiendum esse, ut τέλει cum pondere praefixum ad eum dativi usum referatur, de quo nuper in annotatione Pindarica egimus explicatius, terminalem dico, qui ut lyrico potissimum fervori aptus ac licitus haut raro interpretibus cuiusvis aetatis fraudem fecit. Deinde fac τέλος eodem quasi pondere prolatum poetae idem valuisse cum τέλει θανάτοιο, denique admitte ἐπ' ἦμαρ pro μεθ' ἡμέραν dictum esse. Iam sensus:

Ad mortem enim, si quid Nox missum fecerit, id interdiu (vel: hoc ipso qui sequitur die contiguo) graditur.

tam videtur esse poeticus quam futilis plane atque inanis adverbiascente τέλει. Attamen quis credat, tantam insolentiam verborum a prudenti poeta, ut qui vel in ipsa lyricae orationis elatione atque altitudine intellegi voluerit, non esse reformidatam? Quis non idem sentiat de interpretamento:

Fini si quid nox permiserit,

„quo perfectio intellegatur morbi mortifera“, quod a G. Hermanno indicatum et alioqui tolerabile tamen obscuro est obscurius? — Reiectis his vulgatae scripturae interpretationibus, quales vel factas esse vel fieri posse video, si τέλει vel cum G. Hermanno in τελεῖν vel cum Martino in φέγγει vel (quae mihi primo oculorum contutu occurrebant) in πολλά (longa nox per quam doloribus et calamitatibus conflictamur) aut in πολλῶν (ut sibi opponantur πολλά et τι i. e. ἕν) commutaverimus, paullo fortiora

quidem et poeta digniora contraria nanciscemur, sed de tota re nihil proficiemus. Omnia illa ad unum cum intellegendi tum coniiciendi temptamenta eodem vitio laborant. Usque enim desideratur propior horum verborum cum antecedentibus coniunctio, usque vapulet poeta, qui diris Martis detestationibus ieiunam illam et quasi elumbem caussam „nam omnes si non nocte tamen interdiu morimur“ interseruerit. Hinc proficiscenti non dubium erit quin interpretando demum atque totius loci perpetuitatem attente considerando ad veram illius τέλει vel explicationem vel emendationem perveniri queat. Et hanc quidem viam, quum monstrasset G. Hermannus:

„ut dicam quod sentio, suspecta mihi est librorum scriptura, idque non solum quod illud τέλει, quoquo se quis vertat, satis inutile vocabulum est, sed etiam quia tota sententia parum apte hic posita videtur, nisi sit in ea, quod disertius ad illam quam finxit poeta Martis personam referatur“,

a ceteris fere neglectam esse magis etiam demiraremur, nisi accidisset, quod saepe in Hermannianis accidit, ut vir ille immortalis, etsi non solum infinita doctrina sed etiam acutissimo sensu eius quo opus erat praeditus, tamen, quum aut proxima non videret aut litterarum antiquarum formas earumque vicissitudines atque affinitates minus curaret, ipsum verum non inveniret. Is enim quum μέλλει γάρ. „cunctatur enim“ coniiceret, volebat nexum efficere sed non effecit, immo asyndeton parum probabile inconcinnitatemque structurae verborum addidit, alienum et languidum quod in verbis „plurimi si non noctu tamen interdiu moriuntur“ inest non removit. Neque felicior is fuit qui Hermanni coniecturam secutus proposuit τελεῖ γάρ. εἴ τι κτλ, quod voluit esse „nam ille conficiet nos“, sed magis etiam ob ellipsin accusativi inconcinnus. — Ut meam sententiam aperiam, non recte Erfurdtius Martem tamquam belli deum in Thraciam, tamquam pestis in mare revertere iuberi putavit, nec melius alii diversissima maria inani tantum enarrationis ornamento inserviré crediderunt, ut proiiciendorum in mare i. e. procul habendorum malorum desiderium eo expressius significetur, sed consulto sibi opponuntur occidentis et orientis partes, quando de duplici calamitate, de diurna nocturnaque hominum clade, agitur. Vide quomodo verba procedant. Chorus quum ab initio strophae invasionem pestis sub imagine Martis bellatoris descripsit, mox amplificata imagine personatum deum ita quasi dispescit ut haerere se fingat,

utrum eum ad extrema Orientis an ad ultima Occidentis littora refugere iubeat. Atqui refugiat Pestis unde venit necesse est; igitur simul duplex origo calamitatis indicata est, quae vel ab occasu vel ab ortu solis fiat. Iam ab his locis ad cognata tempora delatus, planius chorus dicit quod sentit, atque de diebus et noctibus quae Thebanos abripiant loquitur. Supponit igitur utrique Marti hostili utrumque tempus hostile, amboque illa paria *βροτολοιγῶν* communi et hostilitatis vinculo et nocturnae diurnaeque mortis quam afferunt duplicitate continentur. Mars ille nocturnus quum saevit, revertatur eo unde venit, ad occidentem, quae sedes est caliginis (etsi non Nox ibi oritur, nam *πηγαὶ νυκτός* in oriente sitae sunt); si diurnus, ad orientem, unde cum sole coortus est. Quod noluerim ita intellegi ut poetam de vi et effectu furiali astrorum cogitasse putem, quod superstitionis genus ab his antiquitatis temporibus alienum est. Nec sidus Martis potest oriri ab occasu. Opinor potius ventos, nebulas, tonitrua omnisque tempestatis vicissitudines obversatas esse menti Sophoclis, quae ex diversis coeli regionibus cooriantur. Ut in gemino loco alterius Oedipi

ὡς καὶ τόνδε κατάκρας
δειναὶ πνματοαγεῖς
ἄται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι
αἱ μὲν ἀπ' ἀελίου δυσμᾶν,
αἱ δ'ἀνατέλλοντος,
αἱ δ'ἀνὰ μέσσαν ἀκτῖν',
αἱ δ'ἐννυχιᾶν ἀπὸ ῥιπᾶν.

a quaque plaga caeli quadripertiti ingruunt calamitates, sic hoc loco ab occasu et ab ortu solis egreditur Mars Pestifer. Confusis autem, ut supra indicavi, loci et temporis notionibus, quae nocturna est clades, ab occasu, quae diurna tempestas, ab ortu solis repetitur. Et plurimae mortes quum noctu eveniant, prius quod ponitur desiderium est pestis ad regionem vespertinam repellendae; inde enim, ab initio noctis, urbem aggredi solet. Cui tamen additur altera supplicatio pestis ad Eoas partes avertendae, quoniam inde quoque accedit hostis, a prima luce. Etenim non solum Nox plurimos conficit, sed etiam reliquos paucos Dies interimit. Hunc crudelem hostem, qui quoque diei tempore nos exanimat, percute fulmine, Iuppiter! — Ita quum omnia bene iuncta sint, apparet nihil referre utrum poeta *μέγαν θάλαμον Ἀμφιτρίτας* oceanum an mediterraneorum marium partem aliquam sibi finxerit, modo hic magnus lectus Neptuniae coniugis clare oppositus sit Ponto Euxino, et, quum ab harum regionum diversitate omnis huius loci intellectus pendeat, quam propemodum nihil ad eum illustrandum conferant verba Horatii:

. . . . tristitiam et metum
tradam protervis in mare Creticum
portare ventis . . . .

ubi „mare Creticum“ de more poetarum per *συνεκδοχήν* pro remotissimo quoque loco usurpatum est.

Quo sententiarum nexu constituto, quod in commissura legitur *τέλει* illud subobscurum ante Scholiorum nostrorum aetatem ex *τέλλον* i. e. *ἀνατέλλον* ortum esse putaverim. Nam *τέλλον ἄμαρ* „surgens dies“, ut, hoc ordine atque intellectu, exquisitum et nervosum et ineptiori librario cum ad corrumpendum facile tum ad intellegendum difficile, ita prorsus tamen Sophocleum — nam in Electra *ἡλίου τέλλοντος* legimus —, eadem opera facit ut imago Martis in Orientalis undas repressi planius ac facilius transeat ad alteram imaginem, de die qui oritur et aggreditur ea quibus Nox perpercit petitam. Addo quod corruptela si casu facta est ex omissa antiquitus liquidarum geminatione facilius videtur explicari, reputanti simul quam exiguo inter se discrimine seiungantur terminationum *EI* et *ON* sive semiquadratae scripturae sive compendia.

II.

Sequitur hoc carmen oratio Oedipi coram Thebanis habita, de qua nuper acutissime inter viros doctos in utramque partem ut disputatum, ita adhuc sub iudice lis est.

Primum hoc teneo, esse illam orationem non tripertitam, ut Classenio visum est, quem Francofurti scribens primum honoris caussa nominatum volo, sed bipertitam. Prior pars eis tantum admonendis atque exagitandis inservit qui huius sive conscii facinoris sive administri, sive denique auctores fuerint; altera ad omnes cives eosque delicti immunes pertinet hortaturque eos ut cunctos, iniuriam qui aut noverunt aut ipsi fecerunt, occultatores perquirant atque investigent. Ex horum autem numero eos quos Rex antea allocutus erat exceptos esse per se intellegitur. Quae *διχοτομίας* ratio

in eis quoque verbis cernitur, quae Chorus utrique postulationi ut respondeat facit Primum enim omnem et societatem et conscientiam criminis planissime denegat:

οὔτ' ἔκτανον γὰρ οὔτε τὸν κτανόντ' ἔχω
δεῖξαι.

tum vero etiam ipsam caedis quaestionem ac pervestigationem si non recusat praefracte tamen modeste declinat:

τὸ δὲ ζήτημα τοῦ πέμψαντος ἦν
Φοίβου τόδ' εἰπεῖν, ὅστις εἴργασταί τόδε.

Ubi, quum tria videantur Choreutae deprecari: perfectionem, scientiam, pervestigationem sceleris, nihil intercedam ne quis cum Brunckio virgulam post *ζήτημα* ponat, i. e. „De quaesito autem, illius erat qui misit, Phoebi, id dicere, quis hoc fecerit.“ Neque tamen cives Oedipo auxilium suum aperte detrectant. Alioqui poenis modo promulgatis (ut ne liberarentur a pesti, immo magis etiam cruciarentur) obnoxios se praeberent.

Deinde mihi cum Classenio *τοῦτον τὸν ἄνδρα* ad occultatores referri tam est manifestum, ut nec qui Ribbeckii interpretationem Germanicam sine cupiditate legit alio posse videatur referre. Nam postquam tria hypotheticarum periodorum membra fere aequalia, unum hoc:

ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάϊον τόν Λαβδάκου
κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο,
τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί.

alterum illud:

κεἰ μὲν φοβεῖται, τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ' αὑτοῦ· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν
ἀστεργὲς οὐδέν, γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής.

tertium denique id:

εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονός,
τὸν αὐτόχειρα μὴ σιωπάτω· τὸ γὰρ
κέρδος τελῶ 'γὼ χἠ χάρις προσκείσεται.

praecesserunt, quis tandem, quum quarto loco accedit:

εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε, καί τις ἢ φίλου
δείσας ἀπώσει τοὔπος ἢ καὐτοῦ τόδε,

ἀκ τῶνδε δράσω, ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ
τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς
τῆσδ', ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
μήτ' ἐσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινά, κτλ.

hoc aliter potest intellegere quam quemadmodum *τοῦτον* in primi membri hypothetici apodosi intellexerat, dico ita, ut *τοῦτον τὸν ἄνδρα* ad subiectum enuntiati secundarii, ad ipsum illum *δείσαντα* et *ἀπώσοντα*, qui est idem cum *σιωπησομένοις*, redeat? Nam id nemo non sentit, verbis *τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον* veram illius hypotheseos *εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε* contineri apodosin, neque alteram *ἀκ τῶνδε δράσω κτλ.* esse nisi augendae atque amplificandae orationis caussa interiectam. Atqui hinc totius loci pendet intellectus. Interdictio Regis non tam ipsum auctorem quam conscios et fortasse adiutores sceleris ferit, qui utrum eadem opera auctores fuerint necne, vel quatenus fuerint, nunc non quaeritur. Non id agit Oedipus, ut interfectorem terreat, sed ut taciturus cuiusvis generis metum afferat, ne, dum sibi amicove parcere studeant, ipsi in poenam et detestationem hominum incurrant. Sin autem cum Ribbeckio V. Cl. aliisque multis *τοῦτον τὸν ἄνδρα* ad ipsum percussorem retuleris, perversum erit hunc iuberi ab eisdem qui eius nomen tacent repudiari atque exturbari. Idque duplici modo perversum erit. Primum, qui de se ipso indicium non fecit, quia sibi timet, idem non potest nisi absurde a reticenti, i. e. a se ipso, recipi vetari; deinde qui amico timens non prodit amicum, is potest quidem eum recipere vetari, sed is qui vetat nihil proficiet vetando. Nam qui amicis suis aqua et igni interdixerint, non amplius tacere sed tacita rei proscriptione caussam eius relinquere ipsumque crimen patefacere videbuntur. Ii igitur qui indicium facere verentur, tali edicto Regio obtemperare non possunt, immo pertinacius etiam tacebunt. Atqui omnes reliqui, qui nihil habent quod silentio operiant, non possunt iussis morigerari, quum nesciant, quibus tandem aqua et igni interdicendum sit. Nihil igitur ageret Oedipus, si hoc diceret. Nec recte si provinciam suam administrare cogitatur, Rex eos qui silentii vitio notantur ideo ipsum interfectorem recipere ac tueri vetabit, ut sic quasi clam iubeatur abire. Primum quia periculum est, ne non abeat sed remaneat. Fac enim amicos illos, edicto Regis perterritos, a sacris suis illum occulte prohibere, ne sic quidem, a paucis quum prohibitus sit, nisi hi aperte secretum prodiderint, terra expellitur, nec, si sibi aufugiendum esse

censet, prohibitione magis quam inani proditionis metu abibit. Deinde si multi atque adeo omnes eum procul amovebunt, ergo si non clam ille sed palam expellitur, cur tantae ambages fiant, quin in hunc quem omnes norunt animadvertatur? Denique Regi, qui totus est et ab initio fuit non in amovendo sed in investigando ac perquirendo auctore (cf. *φανῶ*, *ἐξενρεῖν*, *ἐξερεννᾶν*), nequaquam sufficit, clam prae metu enuntiationis impune aufugere interfectorem. Videtur igitur iste Ribbeckianus horum verborum intellectus dicendi et cogitandi legibus pariter atque ipsis rebus et personis huius fabulae repugnare. Contra si dices, poenam non posse illam irrogari tacentibus, quia ne hos quidem ceteri noverint, secus id esse opinor. Etenim saepe in huiusmodi rebus accidit, ut incerti rumores crebrescant, hunc vel illum hominem scire aliquid, posse eum si vellet loqui, et quae sunt similia. Recte autem orator non complures qui sciunt et tacent alloqui pergit, sed singulis minas intendit, ut unius cuiusque auscultantis eo magis feriatur conscientia. Hos, sive auctores sunt sive non sunt, gravissima silentii poena afficit, hi Regi quasi cedunt in ipsius interfectoris vel confessi vel convicti locum, his aut timore ad indicium faciendum permotis, aut si noluerint cum ignominia expulsis officio *συμμαχίας* satisfecisse et patriam caede contaminatam expiasse sibi videtur. His igitur rei occultatoribus ab omni hominum consuetudine sollemni edicto interclusis, poterat quidem finem dicendi facere (nam nihil sperandum est enuntiationis nisi a consciis, nihil ab ipso sicario, si solus fuerit, ut ab hominum poena securus sit), sed duo tamen quasi in cumulum adiicit, disertam ipsius, utut aut solus aut cum aliis lateat, interfectoris exsecrationem, cui propter deorum ultionem nihilosetius male pereundum esse certissimum habet, et quod Rex suum ipsius caput devovet omnisque quas modo in alios (quicunque vel auctores vel conscii silebunt) immisit diras sibi imprecatur, si et ipse (nam *ἐμοῦ* cum pondere praemissum notat oppositionem inter Oedipum et ceteros *συνειδότας*) interfectorem sub suo tecto sciens occultaverit.

Liceat autem, ut totius orationis perpetuitas eluceat, explicatius eam enarrare.

Exordium.

Et ego audio quae rogatis, et vos assequemini ea votique compotes fietis, modo eis dictis quae statim elocuturus sum morem geratis. Numquam enim, quum haec

fama adhuc mihi ut peregrino non magis quam ipsa caedes nota fuerit, nisi nova eaque certiora indicia apud vos reperirem, multum proficerem. Nunc igitur vestro auxilio opus est, itaque novissimus civis civibus hoc edico.

I.

Primo loco eos alloquor qui aliqua cum hac caede seu scientiae seu facti societate coniuncti sunt. Et inter cives quidem quicunque vestrum novit percussorem Laii, hunc indicato. Qui civilis nominis delator si metuat ne ipse in eiusdem flagitii suspitionem venturus sit, quasi accusationem sui ex placido sopore profundoque oblivionis silentio in acrem saevamque dici lucem rapturus*), is tametsi scelus adiuvisse videbitur, nimium ne timeto, nam exilio tantum mulctabitur. Sin alium hominem ex alia terra oriundum i. e. si peregrinum noverit (latronem fortasse, ut servus olim indicaverat; neque enim statuo fieri non posse ut peregrinus sit, etsi Creon ambigua oraculi verba *μίασμα χώρας ἐν τῇδε τῇ χθονὶ τεθραμμένον* de Thebano ipsius interfectoris domicilio intellexit), in hunc quidem animadvertetur, index autem non solum mercedem sed etiam gratiam accipiet. Impune igitur omnes hi qui aut socii coniurationis civilis aut conscii peregrinae hostilitatis fuerint abibunt, dummodo loquantur. Verum si qui vestrum tacebunt idcirco quia periculum vitant, tamen sine dubio alii intellegent eos tacuisse. Spargentur rumusculi, gliscent suspitiones. Hos igitur, qualescunque sunt, quos vel novistis vel suspicamini consulto tacere, sive sui sive aliorum metu hoc faciunt permoti, sive auctores sunt sive non sunt, sive testes sive adiutores, prohiberi iubeo ab omni sacrarum profanarum publicarum privatarum rerum communione. Hos enim video, nisi ipse interfector indicabitur, oraculorum effatis ad exilii poenam designari, tanquam homines piaculares caussasque pestilentiae. Atque his poteram quidem concludere et videri mihi praesidio quod deo et mortuo Regi voveram probe esse defunctus. Duo tamen restant. Unum, ut huius ipsius sicarii, sive solus sive cum aliis latebit, caput devoveam iraeque deorum permittam; alterum, ut mihi ipsi eandem cum illis sceleris sociis, quibus modo si tacent aqua et igni interdictum est, poenam imprecer, si unquam hunc scelestum eorum instar sciens protexero meoque hospitio excepero.

*) compara Pindarica *ὅτι κε... γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας* et *μοῖσα... λείψον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ' ἔρσας*. Unice verum vidit Hermannus: „*ὑπεξαιρεῖν* est occulta ac recondita promere.“

II.

Deinde vero ad vos omnes me converto, viri Thebani, qui huius caedis expertes estis, ut vestra ope haec omnia rata fiant, dico, ut investigando percussori operam detis, observando quod modo de conscientiae nomine suspectis edictum est, sciscitando rumores, adhortando timidos, divulgando quae reticentis poena quae confitentis venia quae deferentis merces futura, admonendo quae ira deorum occultos scelestos persecutura sit. Vestrum hoc officium est ut et meam et dei patriaeque hanc caussam recipiatis. Quin si deus hoc non iussisset, propter gratam boni regis memoriam boni cives huic vindicationi consulere debebatis. Ad hoc autem ulciscendae iniuriae officium, olim a vobis neglectum, quanto magis nunc mihimet ipsi incumbendum est, qui tam arcta et regiae dignitatis et nuptiarum communione atque societate cum illo constrictus sim, ut quasi meum mihi patrem communesque utriusque maiores clarissimos vindicaturus esse videar. Et Regis est hoc persequi, et coniugis: a vobis autem, qui mortuo olim segniter fidem praestitistis, nunc vivo ut magis praesto sitis postulo. Quare peto a diis ut quisquis vestrum hanc fidem pietatemque neglegat, is male rem suam gerat et misere pereat, neve unquam cesset haec vestrae socordiae poena morbi calamitas, sed in peius etiam augescat.

Peroratio.

Ceteros autem, qui hanc rem cum industria curaturi estis, et ipsa Fides adiuvabit, et omnia eis deorum ope in perpetuum bene feliciter fortunateque evenient.

In hac oratione non multum nec confusionis nec repetitionis inesse animadverto. Nam quod ter minae, dirae, poenae eisdem videntur obnuntiari, id facile explicatur, si accuratius quo loco singulae exsecrationes atque interdictiones positae sint circumspicimus. De qua re enarrando si non satis tamen aliquo modo videatur esse expositum. Facile autem crassiora atque obtusiora qui legere et audire consuevimus fugit nos primo contutu et auditu antiquarum orationum subtilitas, ut Demosthenicae leviter legenti temereque ex nostrae aetatis ingenio iudicanti inani videntur abundare iteratione. Atqui quum altera pars contionis Sophocleae aequis censoribus vix quidquam quod

reprehendatur offerat, nisi alienissima intruseris, latere aliquid ambiguitatis in priore parte concedendum est. Orditur autem Rex a suspitione coniurationis, quam a principio concepit, quum Laium a multis latronibus interfectum esse rescivit:

πῶς οὖν ὁ λῃστής, εἴ τι μὴ ξὺν ἀργύρῳ
ἐπράσσετ' ἐνθένδ', ἐς τόδ' ἂν τόλμης ἔβη;

et paullo infra:

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἄν
κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.

quae suspitio postea in accusatione Tiresiae et Creontis apertius erumpit et in fictam omnium invidorum malorumque foederis imaginem crescit. Hanc coniurationis civilis materiam dum coram civibus tractat, incedit per ignis suppositos cineri doloso. Cautissime igitur eiusmodi verba evitat quibus vel offendat innocentes vel nimium terreat nocentes. Non dicit inter cives adhuc se credere reperiri percussores Laii aut ipsos aut eorum socios, sed significat tantum hoc verbis paullo generalioribus, primum in universum excitans ut omnia sibi patefaciat quicunque huius rei gnarus sit, tum per oppositionem peregrinae iniuriae innuens priora de civili tantum coniuratione dicta esse. Deinde paullo disertius quidem eum qui sibi aliquid accusationis ex illo indicio timeat designat, sed in ambiguo relinquit, utrum de adiutore sceleris an de ipso auctore loquatur. Neque vero potest nec vult fortasse dicere Rex Regiae caedis auctori impunitatem fore et ipsi periculosam, sed ignobilioribus tantum coniurationis sociis, si rem plane detulerint, ita parcere, ut hos exilio, illum vero morte puniat. Neque sperare poterat, percussorem, si solus facinus patrasset, suum ipsius nomen esse delaturum. Sed hoc recte statuit, proditorem coniurationis, si de cive detulerit, et ipsum in periculum incurrere ne accusatus crimen in se reiiciat, nec tamen, quamvis socius facinoris fuisse videatur, ei quidquam praeter exilium patiendum esse. Sin de alieno, Oedipus aut absente reo periculum non esse cogitat ne delatoris societas patefiat itaque scelesti illius peregrini supplicio contentus est, quia oraculum condicionem geminam proposuerat cuius altera pars non exilium sed mortem percussoris postulabat; aut (nam hoc rursus ambiguum est) indicem facinoris participem esse vel eius societatis suspitione teneri, ideoque et ipsum eandem exilii poenam, sed non sine gratia ac mercede, subiturum esse statuit; nisi omnino coniurationem non civium suorum sed

peregrinorum aggressorum sibi fingit, a quibus index Thebanus quum alienus fuerit, vere praemio dignus sit. Verum enimvero, pergit, qualescunque conscii illi sunt, si scientes tacuerint, et tamen, ut fieri consentaneum est, aliqua suspitio in eos ceciderit, suspecti hi ab omni hominum commercio velut ipsi interfectores excludendi sunt. Qua poena interdictionis et ipsa continetur exsecratio; recte igitur ad illam et statim et postea referuntur ἀραί et ἐπαρᾶσθαι. Ita spe metuque consciis sceleris exstimulatis ut verum caedis auctorem prodant, recte et in hunc, si vel quod solus fuit vel tacentium culpa latuerit, atrocissima exsecratione invadit, et sibimet ipsi si unquam committat ut suo silentio latitet eandem cum illis silentii poenam irrogat. — In his autem duo videntur ab Oedipo admitti, quae quodammodo repugnant eis quae iam antea de hac caede comperta habuit. Primum quod verbis εἷς ὢν λῃσταῖς admittit fieri potuisse ut interfector sociis caruerit itaque a nuntio quem modo audiverat multos fuisse qui Laium trucidaverint deflectit; alterum quod admittit fieri potuisse ut auctor sceleris peregrinus fuerit, quamquam oraculum eum Thebanum esse significavit. Et oraculi quidem verba ambigua sunt, ut supra indicatum est, et servi illius quod de latronibus locutus est testimonium de peregrinis accipi potest: sed tamen a Rege puto neutrum statui, nec solum fuisse interfectorem nec peregrinum, sed coniuratione civium Laium periisse. Non vult autem hanc opinionem nimis aperte proponere, ideoque plura accidere potuisse videtur concedere. Omnino haec verba coram populo faciens ratione magis totam rem de integro instituit, memor consilii sui

ἀλλ' ἐξ ὑπαρχῆς αὖθις αὖτ' ἐγὼ φανῶ.

quam quod de singulis quae comperta habuit proficiscens vestigia rei ipsius persequitur. Generalia sunt quae exponit arte disserendi magis quam usu edoctus, ideoque et illa quae audiverat neglegit et ne verbulo quidem tangit servum, quem quum solum facinoris testem adhuc superstitem esse intellexisset, primum perquirendum curare proximum fuisset. Generalis illa coniurationis suspitio, cuius multi participes fuerint, paullo infra recurrit:

ΧΟΡ. θανεῖν ἐλέχθη πρός τινων ὁδοιπόρων.
ΟΙΔ. ἤκουσα κἀγώ. τὸν δ' ἰδόντ' οὐδεὶς ὁρᾷ.
ΧΟΡ. ἀλλ' εἴ τι μὲν δὴ δείματος γ' ἔχει μέρος,

τας σὰς ἀκούων οὐ μενεῖ τοιάσδ' ἀρὰς.
ΟΙΔ. ᾧ μὴ ἔστι δρῶντι τάρβος, οὐδ' ἔπος φοβεῖ.
ΧΟΡ. ἀλλ' οὐξελέγχων αὐτὸν ἔστιν.

Voluerunt hoc loco alii statuere Chorum verbis ἀλλ' εἴ τι non testem sed auctorem caedis intellegere, alii vero pro τὸν δ'ἰδόντ' scribere τὸν δὲ δρῶντ', ut omnia haec ad ipsum percussorem redeant. Illud et Chori responsum ineptum reddit neque explicat quomodo is planissima Oedipi verba perperam intellegere possit, et facit ut Chorus ea dicat quae per se falsa sunt, nam terrore supplicii nec quisquam omnino ad indicium sui ipsius faciendum adducitur neque eo interfectorem allicere in mentem venerat Oedipo. Hoc non solum eadem ratione falsa dicentem Chorum facit, sed etiam supervacanea prorsus et quasi insulsa Oedipum, praeterquam quod solitum illud verborum acumen pessumdat, quod hoc loco in contrariis alternis ἀκούειν — ἰδεῖν — οὐχ ὁρᾶν cernitur. Neutro opus est artificio, neque emendandi neque enarrandi, nedum tertio, ut δρᾶν de actione tacendi interpretemur. Loquuntur in universum, non de servo illo qui aufugit, sed de quoque teste facinoris. Oedipo autem idem semper qui interfectorem proditurus est tanquam et ipse a caede non alienus obversatur; Chorus nec multo aliter sentit, quum sperare se dicit fore ut testes illi sive administri sceleris metu interdictionis tacere desinant, nec non sequitur cogitationem Regis, postquam hic disertius indicavit se de adiutore aliquo loqui. Rursus occultator et auctor in unum quasi coalescunt Oedipo, postquam Tiresias petenti responsum denegavit:

ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ
καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον εἰργάσθαι θ', ὅσον
μὴ χερσὶ καίνων. εἰ δ' ἐτύγχανες βλέπων,
καὶ τοὔργον ἂν σοῦ τοῦτ' ἔφην εἶναι μόνου.

Omnino ira Oedipi eo vehementius in Tiresiam exardesceret necesse erat, quoniam in occultatores tam diserte in oratione sua invectus erat eosque quasi in locum ipsius qui eorum culpa latuerit auctoris puniendos supposuerat. Quare acerbe ille respondet

ἆληθες; ἐννέπω σε τῷ κηρύγματι
ᾧπερ προεῖπας ἐμμένειν, κἀφ' ἡμέρας
τῆς νῦν προσαυδᾶν μήτε τούσδε μήτ' ἐμέ,
ὡς ὄντι γῆς τῆσδ' ἀνοσίῳ μιάστορι.

in quibus verbis hoc inest: „Iubeo te manere intra fines edicti quod modo promulgasti, attamen non ita, ut tibi in animo est, ut me occultatorem facias in locum cedere auctoris, sed ita ut ipse tenearis, nam tu es homo piacularis.“ Nondum autem aperit, utrum Oedipus sit „occultator sciens“, qui deficiente auctore poena teneatur, an ipse auctor. Hoc infra demum planis dicit verbis:

φονέα σὲ φημὶ τἀνδρὸς οὗ ζητεῖς κυρεῖν.

Attamen manifesto ipse Oedipus sibi occultatori eandem cum aliis occultatoribus poenam quum imprecatus sit, verba illa prorsus in ipsum conveniunt. Nam „sciens“ quidem ille non ita abdidit sua in domo interfectorem ut interfectorem eum esse cognoverit, sed tamen ita ut ei notum fuerit hominem (qui interfector est) in domo sua esse. Cuius „scientiae“ ambiguitas non expenditur a poeta, sufficit ei cogitare, quod qui se ipsum sub suo tecto esse passus est, is quam maxime „sciens“ hunc hominem tolerasse videtur. Hoc multo est simplicius et acerbius quam si cum quibusdam *μὴ οὐ συνειδότος* legimus, quod nec Graecum est, nec ei nexui aptum, qui totus est in scientia facinoris. Neque aliter intellego verba eiusdem Tiresiae *τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν πάλαι ζητεῖς ἀπειλῶν κἀνακηρύσσων φόνον τὸν Λαΐειον, οὗτός ἐστιν ἐνθάδε.* Indidem autem explicantur verba, quae postea Oedipus de sua ipsius poena facit, et alia et post narratam caedem Laii haec:

εἰ δὲ τῷ ξένῳ
τούτῳ προσήκει Λαΐῳ τι συγγενές,
τίς τοὐδέ γ' ἀνδρὸς νῦν ἔτ' ἀθλιώτερος,
τίς ἐχθροδαίμων μᾶλλον ἂν γένοιτ' ἀνήρ;
ὃν μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινι
δόμοις δέχεσθαι μηδὲ προσφωνεῖν τινα,
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων. καὶ τάδ' οὔτις ἄλλος ἦν
ἢ ἐγὼ ἐπ' ἐμαυτῷ τάσδ' ἀρὰς ὁ προστιθείς.

nam bene sentit Rex ea quae antea deficiente auctore caedis occultatoribus iniunxerit iam per se multo magis in ipsum auctorem cadere, praeterquam quod disertis verbis eandem sibi cum illis occultationis poenam fore edixerat. Atque quodam quasi fatorum ludibrio fit ut omnia ea eveniant quae in illa oratione magis amplificandae atque ornandae materiae quam probabilitatis caussa proposita erant, omnia autem quae orator vera esse crediderat, ad irritum cadant. Nam peregrini impetu, non civium machinatione Laius obiit; unius manu, non multorum consensu scelus patratum; suo ipsius, non aliorum silentio et patrocinio obtectum; auctoris caecitate, non sociorum formidine obmutuit; casu, non dolo latuit. Quod manifestissimum videtur esse illius ironiae exemplum quam cum in aliis veterum ac recentium tragoediis tum omnium maxime in hac Sophoclis fabula deprehendimus. Facit enim poeta Oedipum in hac quoque oratione habenda tanta iudicii subtilitate atque acumine, tanta regis circumspectione et prudentia, tanta animi strenuitate atque industria, tanta oratoris arte ac pondere utentem, ut prae nimia, ut ita dicam, harum virtutum abundantia nec videat nec faciat quod proximum est, et miserrimum se humanae caecitatis infirmitatisque exemplum praebeat.

De summa igitur re Classenio adstipulor, etsi cum de singulis quibusdam (ut de chiastica quam dicunt verborum *φίλον* et *αὑτοῦ* relatione, quae mihi potius ambo ad civilem coniurationem videntur redire) dissentio, tum totius difficultatis quasi cardo mihi magis quam illi viro eximio in eo verti videtur, quod fervido occupatoque Oedipi animo auctor et occultator caedis plus semel in unam quasi personam coalescunt. Utrique autem viro docto gratia habenda est, magna Ribbeckio quod primus huius orationis difficultatem exposuit, etsi perperam de ea iudicavit; maior Classenio quod quae ille cupidius loco moverat aliique non sine temeritate in textum intulerant tota quaestione retractata in pristinum ordinem redegit.

III.

Initio subsequentis altercationis quae inter Regem et Vatem habetur in his verbis

OI. *οὔτ' ἔννομ' εἶπας οὔτε προσφιλὲς πόλει*
τῇδ', ἥ σ' ἔθρεψε, τήνδ' ἀποστερῶν φάτιν.
TE. *ὁρῶ γὰρ οὐδὲ σοὶ τὸ σὸν φώνημ' ἰὸν*
πρὸς καιρόν. ὡς οὖν μηδ' ἐγὼ ταυτὸν πάθω —
OI. *μή, πρὸς θεῶν, φρονῶν γ' ἀποστραφῇς, ἐπεὶ*
πάντες σε προσκυνοῦμεν οἷδ' ἱκτήριοι.
TE. *πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'. ἐγὼ δ' οὐ μήποτε*
τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά.
OI. *τί φῄς; ξυνειδὼς οὐ φράσεις, ἀλλ' ἐννοεῖς*
ἡμᾶς προδοῦναι, καὶ καταφθεῖραι πόλιν;

ΤΕ. ἐγὼ οὔτ' ἐμαυτόν, οὔτε σ' ἀλγυνῶ. τί ταῦτ'
ἄλλως ἐλέγχεις; οὐ γὰρ ἂν πύθοιό μου.

quod novissimi editoris coniectura interpolatum videmus

ἐγὼ δ'οὐ μή ποτε
ἄνωγας εἰπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

vereor ut cuiquam legenti aeque atque alia eiusdem viri ingeniosissimi inventa probetur. Nam hoc *ἄνωγας*, quum non esse artis Sophocleae et sensisset inventor et ipse verbis significasset, cur quaeso tragico obtrudit propter suam intellegendi desperationem? Enimvero desperantis est, argutam illam inter *τἀμά* et *τὰ σά* oppositionem, quae tam prorsus est cum tragicae orationis tum horum diverbiorum ingenio apta, idcirco quia quomodo distinguenda atque interpretanda sit magno opere haeremus, evellere atque exstirpare eamque cum vulgari et quasi vlumbi sententia commutare, quae etiamsi satis plana est tamen non satis quadrat ad responsum Oedipi? Etenim, ut recte nuper observatum esse video*), Oedipus ad verba tam sibi partim contumacia partim vero etiam vel sincero vel simulato officio benigna aliter respondere debebat, ut: „Quid tandem mea curas? noli moram facere loquendi, non ego tibi ero impedimento, quominus veritatem aperias.“ Quidni editor ille seu Erfurdtianam (quam supra exhibuimus) seu Elmsleianam scripturam relinquere maluit? cur non e copia coniecturarum arripere aliquam, quarum quaeque prope dixerim desperatissimo illo perfugio melior fuisset?

Primum quod Erfurdtius post secundas curas dederat, G. Hermannus repudiatis quas antea fecerat coniecturis probaverat ac defenderat, quodque his aliquatenus praeiverat Scholiastes Romanus et Laurentianus**), ut servata scriptura vulgata interpunctionem tantum mutaremus, hoc sensu:

Ego numquam mala mea vaticinia patefaciam,
ut ne tua dicam mala facinora.

*) in Indice Lectionum gymnasii Gryphiomontani a. 1862, pag. 18, etsi erroris caussam non recte perspexisse vir doctus videtur, quum pro *ἄνωγας εἶπω* gemellum *ἄγνων ἀνείπω* et pro σ' quod dictu mirabile est μ' coniiciat, ita ut vel ultimum vestigium ingenii Attici evanescat.

**) *οὐκ ἐμφανῶ τὰ ἐμὰ ἔπη, ἵνα μὴ τὰ σὰ εἴπω κακά*, recte addens *ἤδη δὲ τρανότερόν φησιν, ὅτι τὰ αὐτοῦ κακὰ ἀποκρύπτεται*, nam non dicit *τρανῶς*, sed *τρανότερον* quam antea, etsi adhuc ambigue.

argutius quidem et subtilius est quam ut, disiunctis membris periodi, facile intellegatur, sed sine dubio, ut magis ambiguum est, ita ad manum Sophocleam propius accedit quam gravis illa coniectura. Et *ἄν* quidem, quod in Erfurdtiana ratione molestum visum est, nullo negotio amoveri potest, ita, ut cum Doederlino et Schaefero *ἂν εἴπω* scribamus, quod quum sollemne praeconis verbum sit, ab hoc loco non alienum est:

ego vero numquam committam ut mea aperiam,
ut ne (simul) tua renuntiem mala.

Quo in genere interpretandi occurrebat aliquando *καὶ* pro altero *μὴ* reponere, ut ambiguam quidem sed commodam sententiam efficeremus hanc:

equidem numquam profecto mea aperiam ita
ut tua quoque pronuntiem mala.

At non opus est *ἂν εἴπω* removere, quum particulae *ἄν* in enunciato finali post *ὡς* et *ὅπως* usurpatae et aliorum et Sophoclis exempla suppetant, ut in Philocteta fabula *ὡς ἀν ἀγνοίᾳ προσῇ* i. e. *ἵνα μὴ γνωσθῇ* quod Kruegerus affert, et undecim alia quae apud Ellendtium collecta habes, etiam sequente *μή* hoc: *ὡς ἂν μὴ δοκῶμεν* pro *ἵνα μὴ δοκῶμεν*. Nescio autem an Benloewius in editione Parisiensi hac interpretatione

ego vero neutiquam mea, ne dicam tua,
patefaciam mala.

rem acu tetigerit, aut emendans interpunctionis Erfurdtio-Hermannianae intellectum aut nunc demum recte illustrans. Ita enim *ὡς ἂν εἴπω μή* locutio est quae non multo distat ab „et prope dixerim“, qua locutione oblique tantum significatur, periculum esse ne ea mala quae Tiresias impertienda habeat quaeque ideo Tiresiae mala sint, possint etiam dici (et longe graviore sensu) Oedipi mala. Id autem adeo obscurum est ut et Vatis quam initio ostendit *ἐποχήν* deceat et a Rege intellegi nequeat. Is igitur illa significatione neglecta nihil curat nisi detrectationem officii imperati.

Deinde si Elmsleianam rationem amplectaris, ut vulgata scriptura ita distinguatur:

ἐγὼ δ'οὐ μή ποτε,
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τά σ' ἐκφήνω κακά.

ego vero numquam,
mea utcumque dicturus sum, tua aperiam mala.

haut praefracte negaverim, alterum *μή* in talibus enuntiatis abundare posse. Nam etsi exempla geminatae post *οὐ μή* particulae desideramus, in ipsa re nihil videtur esse impedimenti, quominus *μή* sic positum post *οὐ μή* abundet. *Οὐ μή* in principio enuntiationis collocatum hanc totam negat, nec videtur post interiectam alteram sententiam *τἄμ' ὡς ἂν εἴπω* „mea utut dicturus sum“ aliena esse repetitio particulae negantis, antequam continuetur sententia principalis, ut in illo Xenophonteo *δέδοικα μή, ἂν ἅπαξ μάθωμεν ἀργοὶ ζῆν, ... μὴ ἐπιλάθωμεν τῆς οἴκαδε ὁδοῦ*. Nec tamen sine caussa Wunderus sensit esse in hac quoque explicandi ratione quod displiceat. Nam etsi in ea arguta quaedam ambiguitas atque obscuritas minime desideratur et praeterea eadem simplicitate quadam prae ceteris commendatur, nihilo minus de tota illius *οὐ μή* natura et origine non ita constat ut quidquam quod usum testatissimum excedat certo statuere possimus.

Praeterea aliae et multae sunt explicationes atque emendationes huius loci, quae quamquam minus probabiles sunt quam Erfurdtiana et Elmsleiana, tamen, si a paucis quibusdam recesseris, aut mutandi facilitate aut a mutandis traditis abstinentia, praeterea dicendi subtilitate verborumque cum tota altercatione convenientia longe superant recentissimam coniecturam *ἄτωγας*. Eae autem partim textum mutant, partim vulgatam tuentur. Inter emendationes illas (ut taceam barbarum illud *ἐξερείπω* bicomposituma, quod Brunckius olim, et ineptum *ὦς* pro *ὡς*, quod Bothius Sophocli obtrudere volebat) Musgravii haec est:

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
τἄμ' ὡς κάλ' εἰπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.
ego vero nunquam
dicam mea quam honesta sint, ne tua turpia esse ostendam.

Hermanniana prima haec:

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
τἄμ', ἴσθ' ἄν, εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.
ego vero nunquam
mea, scias hoc, dicam, ne tua patefaciam mala.

Erfurdtiana prior satis concinna:

ἐγὼ δ' οὐ μήποτε,
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, καὶ τὰ σ' ἐκφήνω (ἐκφανῶ) κακά.
ego vero numquam,
mea utut dicam, simul tua patefaciam mala.

Doederlini et Schaeferi haut spernenda:

ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄμ' ὥς σ' (Schaef. εἴς σ') ἀντείπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.
ego vero numquam
mea coram te (contra te) pronuntiabo, ne tua aperiam mala.

denique Hermanniana altera et facillima et vivacitate ac proprietate insignis:

ἐγὼ δ', οὐ μή ποτε,
τἄμ' ὡς ἂν εἴπωὖ μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.
ego vero? nullo pacto —
ne mea promens, tua prodam mala.

quae quinque emendationes maximam quidem partem, in commenticio illo Canone Dawesiano, quo *οὐ μή ποτε ἐκφήνω* coniungere vetabamur, haerentes, claudicans enuntiatum finale per *μή* perperam subiunxerant, sed cunctae, a delenda oppositione inter *τὰ ἐμά* et *τὰ σά* recte abstinentes et a textu non admodum evagatae tamen quod aptum et probabile esset coniecerant. Eu venit, dimidii saeculi intervallo post refutatum illum Canonem et explosum, alius, qui in idem claudicantis enuntiati vitium dum incidit, nec curat probilitatem[a] mutandi, nec quidquam cui illi pepercerant intactum relinquit, nec denique perpetuitati diverbii consulit. Profecto si ex hoc exemplo de universa opera iudicandum esset, verbum de ea re non faceremus: nunc quum non sit, sed multa eaque egregia virum doctum et ingeniosum ostendant, haud immerito de levitate conquerimur. — Inter alterius generis interpretes, eos dico, qui vulgatam defendunt, et Scholiastae sunt et nostratium quidam, quorum plurimi paralipticam orationem statuunt. Et ab altero quidem Scholiasta Graseri, a Triclinio Reisigii interpretatio non multum distat. Scholiastes (alter recentior) quum dicit *οὐ μή ποτε εἴπω τὴν ἐμὴν μαστείαν, ὡς ἂν μὴ φανερὰ ποιήσω τὰ σὰ κακά* verba poetae ita videtur construxisse Hermanno *ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε τὰ ἐμὰ εἴπω, μὴ τὰ σὰ ἐκφήνω κακά*, fortasse idem in mente habens ac Graserus, quum *γενήσεται* post *οὐ μήποτε* suppleri et inde *ὡς ἂν εἴπω τὰ ἐμά* aptari iubet,

cui ellipsi non plane dissimilis est aposiopesis in altera ratione Hermanni, ubi is ante *τἄμ'* supplet *ἐκφανῶ* sive *ἐκφήνω*. Aliquanto artificiosior est ratio Tricliniana*), qua idem post *τἄμ'* supplere et *ὡς ἂν εἴπω* seorsum intellegere iubemur, ubi inutile illud *ὡς ἂν εἴπω* ab Hermanno recte notatum est. In quam inutilitatis vituperationem non videtur cadere coniunctum *τἄμ' ὡς ἂν εἴπω*, immo summo opere augere vim recusandi. Reisigius, qui Erfurdtii interpunctionem atque constructionem parum dignam esse indicat simplicitate tragicae orationis, eadem cum Triclinio ellipsi utitur, sed interpositum illud *ὡς ἂν εἴπω* paullo aliter interpretatur:

ego vero numquam
mea, dum loquor, proferam, ne tua aperiam mala.

Cuius generis paraliptici vel concinniora et nervosiora comminisci possis — nam in illis omnibus additicia quae per *μή* finale copulatur enuntiatio in exitu periodi claudicat — ut si statuas *μή* illud ad omissum post *οὐ μή ποτε* verbum *καθευδήσω* pertinere:

scilicet vos omnes desipitis . Ego vero neutiquam (periclitabor).
mea ut pronuntiem (*ἀνείπω*), } ne tua aperiam mala.
meą utut dicam (*ἄν εἴπω*), }

vel ita ut *μή* i. e. *εἰ μή* ex omisso eodem loco *ἀμελήσω*, sive *παρῶ*, *παρήσω* pendeat:

omnes scilicet inconsiderati estis. Ego vero nunquam (praetermittam),
mea ut pronuntiem, } anne tua patefaciam mala.
mea utut dicam, }

vel ad aposiopesin propius ita:

omnes scilicet desipitis: ego vero, ne unquam —
mea utut dicam, ne tua aperiam mala!

ut tamquam *πάντες* et *φρονεῖν* sic etiam *οὐ μή ποτε* et *μή* ex prioribus cum acerbitate quadam iterentur, et Oedipi admonitionem Tiresias contraria sui admonitione repulset. Haec quamvis dura tamen ad totius orationis perpetuitatem apta sunt. Quod vero olim, nec collocationem Erfurdtianam probans, nec de abundanti secundum Elmsleium *μή* securus, nec de claudicanti *μή* finali contentus, his verbis inesse:

*) Triclinius *λάμβανε δέ*, inquit, *καὶ πρὸς τὸ τἀμὰ τὸ ἐκφήνω κατὰ συνεκδοχήν, πλὴν ἐκεῖ μὲν χωρὶς τοῦ κακὰ ἔρεις, οὕτως· ἐγὼ δέ, ὡς ἂν εἴπω, οὐ μή ποτ' ἐκφήνω τἀμὰ, ἤγουν οὔ ποτε ἅ νοῶ* (edd. antiqq. *ἃ νῦν*) *περὶ τῶν παρόντων εἴπω, μήπως ἐκφήνω τἀμὰ αὐτὰ κακά, ἤγουν τὴν αὑτῶν ἀνομίαν* Construxit igitur *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε, ὡς ἂν εἴπω* (utcumque dicam), *τἀμὰ ἐκφήνω, μὴ ἐκφήνω τἀ αὐτὰ κακά.*

equidem profecto nihil mali sum dicturus,
quod non tuum quoque malum sit,

et acerbe sic expressum esse putabam:

equidem numquam, quomodocunque mea
dixero, non tua patefaciam mala.

quodque, quum Graece deberet dici:

ἐγὼ δ' οὐ (μή) ποτε ... οὐκ ἐκφανῶ καὶ τὰ σὰ κακά.

aut attractione sive assimulatione quam dicunt particularum negativarum excusare, aut ellipsi vocis *δυνήσομαι .... μὴ ἐκφήνω* pro *οὐ (μή) δυνήσομαι .... μὴ ἐκφαίνειν* (cf. Aristophaneum in Ranis *οὗτοι μὰ τὴν Δήμητρα δύναμαι μὴ γελᾶν*) valeret, quemadmodum Latine non possum quin rideam idem est ac non possum non ridere: — id, quamquam per se bene dictum fuit, nunc vel ideo inter reiectanea habeo, quia nimis ea sententia cum ceteris comparata debilis est et tam parum Tiresiam postulata recusantem facit, ut nec acerbum illud *πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'* nec vehemens Regis responsum ullo modo cum ea congruat. Unum tamen non omittam quod ad universum hoc genus negationis valde pertinet. Si G. Hermannus in censura Medeae Elmsleianae verum vidit, *οὐ μή*, etiam coniunctivo sequente, proprie interrogantis est. Iam Erfurdtii constructionem sic exponamus:

omnes scilicet insipientes estis: ego vero non sinam
mea, ne dicam tua, mala indicta? Sinam profecto.

alteram vero, quae Elmsleii est, ita:

omnes scilicet desipitis: ego vero non sinam,
mea utut dicam, tua mala indicta? Sinam vero.

Quod si ad ellipticum, de quo supra egimus, genus interpretandi traducere licet, hoc ita ad interrogationem revocabitur, ut e prioribus verbis *πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτε* adsumatur idem praedicatum negativum *οὐ φρονήσω*, quod quum idem sit atque *οὐ σκέψομαι* (*σκέψομαι*), *οὐκ ὄψομαι* (*οὐκ ἴδω*), *οὐ φυλάξομαι* (*-ξομαι*), vel *οὐκ εὖ φρονήσας σκέψομαι, οὐ πᾶσιν ὑμῶν φρονήσας ἴδω*, hinc rectissime et commodissime pendet alterum *μή*, ita

omnes enim non guari estis: ego vero non sinam me esse haut ignarum
sed videntem potius et caventem, mea utcumque dicam, ne tua patefaciam
mala? Sinam vero.

quod quum triplicem negationem includat, perinde est ac si simplici utaris, brevius:

omnes scilicet nihil videtis: ego vero non videam,
mea ut pronuntiem,
mea utut proferam, } ne tua aperiam mala?*)
Immo caveo mihi et taceo.

Sin autem, ad quam sententiam Hermannus postea in annotatione Oedipi Colonei regressus est, non interrogatio inest sed ellipsis in *οὐ μή*, ut quod sit *οὐ δεινὸν μή*, verba illa ad duplicem omissionem, et quae huius formulae atque consuetudinis et quae oppositionis atque occasionis sit, sic revocabis:

at omnes non cavetis. Ego vero, non [est metuendum], ne umquam [non caveam], mea ut (ut) dicam, ne tua aperiam mala.

Alterum utrum ut statuas, tamen post *οὐ μήποτε* virgula interpungendum erit.

Nihilo minus, dum de principio atque ratione huius formulae *οὐ μή* omnia certa sint et explorata, tantum constet, et displicere omnem horum verborum constructionem nisi *μή ποτε ἐκφήνω* coniunxeris, et esse Erfurdto-Hermannianam ab optimorum interpretum auctoritate, a vetustissimo grammaticorum testimonio, a sermonis Graeci legibus tutissimam. Idcirco autem non sublata est omnis dubitatio de huius loci intellectu, cuius peccare videtur qui tollere vult ambiguitatem atque implicationem verborum.

IV.

In secundi chorici stropha altera, quam sic traditam habemus:

δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας
οὔτε δοκοῦντ', οὔτ' ἀποφάσκοντ' · ὅ τι λέξω δ'ἀπορῶ.
πέτομαι δ'ἐλπίσιν, οὔτ' ἐνθάδ' ὁρῶν, οὔτ' ὀπίσω.
τί γὰρ ἢ Λαβδακίδαις
ἢ τῷ Πολίβου νεῖκος ἔκειτ',
οὔτε πάροιθέν ποτ' ἔγωγ' οὔτε ταυῖν πω
ἔμαθον, πρὸς ὅτον δὴ βασάνῳ
ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα, Λαβδακίδαις

*) Weil ihr alle keine Einsicht habt. Ich aber sollte [nicht keinen] Mangel an der Einsicht haben dass, um mein Schlimmes zu sagen, ich nicht Dein Schlimmes enthüllen darf?

ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων.

septimus versus non respondet antistrophico:

ἀλλ' ὁ μὲν οἶν Ζεὺς ὅ τ' Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν
εἰδότες · ἀνδρῶν δ'ὅτι μάντις πλέον ἢ 'γὼ φέρεται,
κρίσις οὐκ ἐστιν ἀληθής · σοφίᾳ δ'ἂν σοφίαν
παραμείψειεν ἀνήρ.
ἀλλ' οὔποτ' ἔγωγ' ἄν, πρὶν ἴδωμι'
ὀρθὸν ἔπος, μεμφομένων ἀν καταφαίην.
φανερὰ γὰρ ἐπ' αὐτῷ πτερύεσσ' ἦλθε κόρα
ποτέ, καὶ σοφὸς ὤφθη βασάνῳ Φ'άδύπολις · τῷ ἀπ'ἐμᾶς
φρενὸς οὔποτ' ὀφλήσει κακίαν.

Est enim ille choriambo maior. Quam discrepantiam ut exaequarent, alii ut Brunckius et Wunderus strophicum versum augendum, alii ut Hermannus olim et postea etiam Schneidewinus et Dindorfius antistrophicum minuendum esse censuerunt; plurimi autem ita ut aut Scholiastae vetustioris testimonio, aut Triclinii auctoritate opinionem suam comprobarent. Mihi de hoc loco tria videntur constare: primum, nihil quod a vulgata scriptura discedat apud Scholiastas posse indagari; tum verba *γὰρ ἐπ' αὐτῷ* in alterno versu non posse omitti nec quidquam esse in Triclinio praesidii; denique eadem verba ita ut scripta leguntur non posse intellegi. Atqui de primo et altero facile puto concedentes habebo eos qui haec legunt re paullo curatius examinata. Nam Scholiastas nihil legisse aliud quam quod nos legimus perquam manifestum est, neque hoc impedimento est quominus textum emendemus, quum hi Sophoclis commentarii et satis recentes et omnino non magni pretii sint. Laurentianus quum dicit (fere ad amussim consentiens cum Romano): *πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ] ποίῳ λογισμῷ, ἀντὶ τοῦ, τίνος πράγματος κρίσει χρησάμενος, τοῖς λεγομένοις πιστεύσω κατὰ Οἰδίποδος*, in his verbis nec Brunckius debebat sibi videri vocem Sophocleam *χρησάμενος*, nec alius quidam *πίστιν ἔχων* deprehendere, nam *ποίῳ λογισμῷ* et *τίνος πράγματος κρίσει χρησάμενος* duo sunt interpretamenta prosaria eorum quae in lemmate posita sunt, et quae sequuntur *τοῖς λεγομένοις πιστεύσω κατὰ Οἰδίποδος* non eodem pertinent, sed sunt circumscribentis vel potius perperam intellegentis ea quae apud poetam proxima sunt: *ἐπὶ τὸν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα*. Immo contrarium inde efficitur; nam si aliud legisset ille, et in lemmate hoc

posuisset, et ex interpretatione id clarius appareret; neutrum quum factum sit, sequitur eum idem nobiscum habuisse, quum in talibus plane sufficiat probatio negativa. Moneo autem hoc tam explicate, quoniam hodie, quasi nova pestis auctorum classicorum, augurum quorundam temeritas quidvis ex scholiorum farragine enuntiandi atque hariolandi ingruit. Recte G. Hermannus Brunckium et Wunderum vituperat, quod tam levi argumento *χρησάμενος* receperint; etiamsi quod dicit: Scholiastae, non Sophoclis id esse ostendi his verbis Paraphrastae recentioris (Lipsiensis): *παρ' οὗ σὲν βασάνῳ ἐλεύσομαι ἐπὶ τὴν ἐπιδημίσασαν μαντείαν τοῦ Τειρεσίου τῷ Οἰδίποδι, ἤγουν κατὰ τοῦ Οἰδίποδος κτλ*, hoc Hermanni argumentum et ipsum satis leve est, quum passim accidat ut Paraphrastae (qui sunt recentiores) non exhibeant ea antiquae scripturae vestigia quae adhuc in Scholiis Vetustioribus discernuntur. Attamen de ipsa re Hermannus rectissime iudicat, et si Neuius coniecturam suam *πρὸς ὅτου δὴ σὲν ἀλαθεῖ βασάνῳ* ex Paraphrastae illius interpretamento *σὲν* repetiit, eiusdem caussae reus est. Quod autem apud Bellermannum invenio, *πρὸς ὅτου δὴ βασανεύων βασάνῳ*, quum et frigere et tumere Euripidemque magis quam Sophoclem, si recte sentio, decere videatur, nescio an Hesychiano illo *βασανεύων* probabilius sit hoc:

ἔμαθον, πρὸς ὅτου πιστοτάτου δὴ βασάνῳ,

quod et ob homoeoteleuton aeque facile librariorum incuria corrumpi potuit et aliquanto mihi videtur esse poeta dignius. Corruptio minus facilis erit, si *πιστοτάτῳ* vel *πιστοτέρᾳ* scripseris, etsi est in eo quod non displicat. Sin in fine ille versus truncatus est, ut saepe in choricis accidit, et si id hiatu *βασάνῳ ἐπὶ* vere indicatur, possis scribere:

ἔμαθον, πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ θαρσαλέος
ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἰμὶ Οἰδιπόδα, κτλ.

reposito post *Οἰδιπόδα* commate quod G. Hermannus, ut *ἐπικουρος εἰμι* iungeret, sustulerat. Iam recordabimur Pindaricorum *ἔκλος ἔπειμι γῆρας* et *θαρσαλέα παρὰ κρατῆρι φωτὶ γίνεται* aliorumque quae tanto poeta digna sunt. — Neque in antistrophico auxilium est apud Scholiastas. G. Hermannus quidem eiusmodi aliquid videre sibi visus est in Laurentiano: *φανερὰ γάρ*] *ἃ μὲν ἐγκαλοῦσιν αὐτῷ, ἄδηλα, καὶ οὐ πάντως ἀληθῆ, ἃ δὲ κατώρθωσε, φανερά, ὅτε ἐπελθούσης αὐτῷ τῆς Σφιγγὸς ὤφθη σοφός*: quibus verbis quum ille adderet: „Mira vero interpretatio, quae non in vulgatam, sed in talem potius scripturam quadrat: *φανερὰ γάρ· ἐπεὶ αὐτῷ πτερόεσσ' ἦλθε κόρα*. Glossae codd. Lips. ad *φανερά* habent *ἀντὶ τοῦ φανερῶς*, ad *ἐπ'αὐτῷ* autem *κατ' αὐτοῦ*." egregie a vero aberravit. Nam si hoc scholion inter innumerabilia illa frivola et inepta esset, quibus hi grammatici cum aliis tum hoc potissimum loco abundant, nemo sane hoc impensius demiraretur: At non est neque absurdum neque a traditis verbis alienum, immo satis acutum eorum interpretamentum, quod merito contra Hermannum dixerunt Wunderus atque Ellendtius. Quorum ille recte vidit Scholiastam his explanasse poetae breviloquentiam: *φανερὸν γάρ ἐστιν ὅτι, ἐπεὶ πτερόεσσα κόρη ἐπ' αὐτῷ ἦλθε, σοφὸς ὤφθη*, cett.; hic sensum, non verba expressa esse, nam progrediendo quasi adversus Oedipum a Sphinge manifestam factam esse eius sapientiam. Volebat autem Scholiastes hoc: *φανερὰ γὰρ ἦν ἡ αὐτοῦ σοφία τότε, ὅτε, ἐπελθούσης αὐτῷ τῆς Σφιγγός, ἐνίκησεν αὐτήν*. Nullus igitur in Scholiis error obtinet, nisi quod glossarum excerptores, obiter tantum, ut assolent, inspecto et non intellecto commentario vetustiore, alienum quod esset *ἀντὶ τοῦ φανερῶς* ad *φανερά* (femininum) adscripserunt. Elucet potius grammaticos illos non solum idem nobiscum legisse sed etiam nexui verborum indagando non sine caussa operam eamque haut infelicem dedisse. — Alterum quod demonstrandum erat ex his quae dicta sunt facile expediemus. Quid enim hoc est quod quum de verborum perpetuitate haeremus ea quae obscuritatem afferre videntur *ἁπλῶς* praecidimus? si servatis illis verbis *γὰρ ἐπ' αὐτῷ* nexus sententiarum difficilis est, deletis plane nullus est. Et est quidem nonnumquam in asyndetis gratia quaedam et iucunditas, ex brevitate et novitate dicendi derivata, sed ea a tranquillo deliberationis atque argumentationis tenore alienissima est. Contra si dicas cum Hermanno sententiam fortiorem reddi per asyndeton, non hoc loco, respondebo, ubi hodiernae magis quam antiquae artis est, ea quae caussam fiduciae continent sub specie epimetri vel amplificationis addere. Et ut propter antecedentia *γάρ* requirimus, ita ad insequentis enuntiati *σοφὸς ὤφθη* subiectum recte supplendum aegre caremus *αὐτῷ*, praesertim quum in tota antistropho Oedipus ipse non commemoratus sit. Denique et ipsum *φανερὰ ἦλθε* praefractius esse videtur et quasi iusto sublimius. Constat igitur mihi cum Wundero, viro clarissimo, verba *ἐπ'αὐτῷ* salva sententia omitti non posse. Triclinius autem quod omittenda duxit: *περισσὸν ἦν ἐνταῦθα τὸ ἐπ' αὐτῷ, διὸ καὶ ἐξεβλήθη παρ' ἐμοῦ· οὐ γὰρ ἦν ἴσον τὸ κῶλον πρὸς τὸ τῆς στροφῆς*, de more metricae diorthoseos fecit, quam passim ut hoc loco imperfectam relictam esse videmus. Cui tamen non ita multum tribuendum est, quia si quid pru-

dentiae in illo et sagacitatis, at nihil certe auctoritatis est, neque alioqui a sua se ipse Hermannus revocasset opinione. Qui postquam in tertia editione Erfurdtiana, repositis verbis γὰρ ἐπ' αὐτῷ lacunaque in strophico post δή indicata, Triclinium deseruit: mirabilis esset Schneidewini, Dindorfii, Benloewii ad haec verba expungenda obstinatio, nisi falsi aliquid et perversi in eisdem situm esse optimo iure intellegerent. Atque hoc tertium est quod probatum iviimus. Chorus in eo est ut ostendat, accusationem a Tiresia in Oedipum intentatam non sufficere sibi, ut fidem quam adhuc Oedipo habuerit imminuat. Et deos quidem omnium rerum gnaros esse, sed hominum vel sapientissimos errare posse.*) Numquam igitur se, priusquam certiora cognoverit, accessurum esse vituperatoribus Oedipi, quem in summo urbis discrimine prudentem aequum liberalem expertus sit. Postrema autem quum his verbis declarata sint:

> Ego vero numquam, priusquam stabile certumque dictum videro, damnantibus adstipulabor. Manifesta enim in illum alata progressa est virgo aliquando, et sapiens visus est atque gratus civibus. Quapropter me iudice numquam censebitur pravus.

ab expectatione nostra mirum quantum recedunt. Volumus enim non de accessu Sphingos ad Oedipum, sed de discessu Sphingos et victoria Oedipi sermonem fieri. Ne hunc quidem Sphinx, sed is Sphingem adortus est, quia illa urbem adorta erat. Cuius perversitatis sensu imbutus et olim Musgravius ἐπ' οἴτῳ i. e. ἐπ' ὀλέθρῳ [πόλεως], et nuper Nauckius, vir clarissimus, ἐπ' ἀστοῖς coniecerunt, eodemque sensu Elmsleius intellectum loci mutare volebat, ut ἦλθεν ἐπ' αὐτῷ esset in potestatem eius venit. Contra quem recte Hermannus „Eum, inquit, sensum nec possunt habere verba ista, et, si haberent, parum apte eis usus esset verbis poeta, quae urbi potius captae convenirent. Nihil aliud significatur quam manifesta adversus eum progressa est Sphinx.“ Nihilo tamen minus Elmsleius, vir oculatissimus, acute intellexerat, quid rei esset, nec quidquam in illis verbis tam vehementer desideramus, quam mentionem victoriae ab Oedipo reportatae. Quapropter aut, servata scriptura, interpretatione aut emendatione illa quam Elmsleius voluit sententia quaerenda est. Videatur autem cum φανερὰ ἦλθε significare posse ante oculos nostros evanuit, ex oculis fugit, ut in aliis quoque Sophoclis aliorumque

*) verba σοφὸς δ' ἂν σοφὸν κτλ. ita intellego, ut „est ut vir virum sapientia superet“ idem sit cum „fieri potest ut vel augur Tiresias ab alio sapientiori erroris convincatur.“

scriptorum locis ἔρχεσθαι cum vi quadam expressum de abeundo dicitur, ex plurimarum linguarum nostrique sermonis consuetudine; tum ἐπ' αὐτῷ seorsum accipiendum esse sive „apud illum“ i. e. „cum ille venit“, sive „coram illo“, sive „quantum in illo erat“ „illius caussa“, „in honorem illius“, „eo iubente“, sive alio quolibet modo; nam inter localem et caussalem usum huius praepositionis quam quasi distinctionis umbram captes, quid refert? Iam poeta hoc dicit:

> manifesta enim illius gratia alata cessit virgo
> aliquando, et prudens visus est atque popularis experimento.*)

Quae horum verborum interpretatio etiamsi in poeta, qui in choricis ab audacioribus minime abstinuit, ferri posse videatur, at dura tamen est et difficilis ut vulgata intellegendi inopia conflictata. Nam nisi quodam discrimine pronuntiandi separaveris, non poteris non perperam coniungere ἦλθεν ἐπ' αὐτῷ. Praeferas igitur emendationem, una litterula supplantata:

> φανερὰ γὰρ ἐπ' αὐτῷ πτερόεσσ' ἦλθε κόρα
> ποτέ,

ut virgo prodigiosa arte prudentis domitoris quasi oppressa interiisse dicatur:

> manifesto enim sub illo alata concessit virgo
> olim, et sapiens apparuit periculoque gratus civitati;

qui usus praepositionis ὑπό cum dativo coniunctae quum et in choricis melicisque carminibus frequentissimus sit, et maxime verbis occumbendi et intereundi adhaerescat, et praeterea de subigenda muliere proprius sit, tribus de caussis ad hunc locum illustrandum appositissimus est. Ut Pindarica exempla omittam, unum tantum quod proximum est, dum Lectorem Benevolum bene se habere iubeo, adiicere liceat: quicunque hanc emendationem non probaverit

> τόν, ὦ [θεοῖς]**) πυρφόρων
> ἀστραπᾶν κράτη νέμων,
> ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ.

*) denn offenbar bei (vor) ihm gieng das geflügelte Mädchen einst u. s. w.

**) nisi δή scribere malis, quod, sive cum νέμω coniunctum, ut sit ὃς δὴ νέμει i. e. „quem omnes fulgura regere sciunt,“ sive per leve et non ingratum hyperbaton complectendis eis quae antecedunt pro τοῦτον δὴ φθίσον adhibitum, toti loco, si quid video, accommodatissimum erit. — Etiam in quinto chorico ἐμὲ Φοῖβε σοὶ δὴ ταῦτ' ἀρέσαι εἴη valde arridet.

De Scholiis Pindaricis Epimetrum.

Superest ut huic Lectionum Indici adiiciamus ea quae nuper, gratulantibus nobis altera scholae Hanoviensis *κτιστήρια* saecularia, propter temporis defectum Scholiis Thomano-Triclinianis in Pindari Nemea et Isthmia a nobis editis (brevissimo epilogo excepto) subiici non poterant. Ne igitur ipsi Hanovienses quid doni acceperint ignorent, hac disputatione id quod tunc praetermissum est quodam modo compensare liceat.

Recentiorum grammaticorum scholia Pindarica in Olympia maxima ex parte iam a. d. 1515 ut *πάνυ καὶ αὐτὰ•ὠφέλιμα* impressa sunt; tum a. 1819 eadem ex supellectile sua Böckhius auxit; denique ea quae ad Pythia quattuor prima pertinent Ernestus Schneiderus a. 1844 e codice Vratislaviensi edidit: reliqua adhuc latitarunt. Quare, occasione oblata, quae ad Nemea et Isthmia pertinentia olim ex itinere Italico transcripta habebam, hoc loco edidi. Ea quamquam nusquam certo auctori tribuuntur, tamen satis probabiliter ad Thomam Magistrum qui dicitur referri possunt. Nam quae scholia ad Olympia et Pythia sub huius grammatici nomine feruntur, ea non solum his quae nunc ad Isthmia et Nemea eduntur tenore simplici simillima sunt, sed etiam in paucis quibusdam codicibus (ut in codice Abbatiae Florentinae) cum his ita coniuncta inveniuntur, ut unius quasi corporis membra esse videantur. Triclinius autem quantum operae praestiterit non liquet. Inveniuntur haec scholia in eis codi-

cibus quos quam maxime Triclinianos esse omnibus indiciis constat*), nec facile credas ea a Triclinio mere esse rescripta, quum in Olympiis, etsi ibi quoque multa inter utrumque auctorem ambigua sunt, satis tamen appareat alia Thomana a Triclinio reprobata et omissa, alia vero mutata atque adiecta esse. Cuius generis videtur etiam in his scholiis esse, quod ad Isthm. V, 8 auctor scholii in calce refellitur. Fuisse autem hunc commentarium olim pleniorem vel tituli historiarum ostendunt, ut ad N. V, 35 ubi nulla sequitur narratio. Quae et inscribendi et narrandi ratio prorsus eadem est cum illa quam in Olympiis in Thomana tantum parte satis crebro usu venire animadvertimus.

Continent autem hi commentarii duo genera annotationis, quorum unum vetera repetit, alterum nova addit. Sunt igitur multa ex veteribus iterata, nec tamen prope ulla ad verbum aequalia, et quaedam multo editis emendatiora. Altera pars nova habet, quae etsi ut in difficillimo scriptore saepe utilia, ita tamen et aliquoties arguta atque insulsa, et semper exiguae recentiorum Graeculorum lectionis finibus circumscripta sunt, ut nihil nisi quod vulgatissimum esset laudarent. Ita Euripidis Phoenissas, Homeri Iliadem, Aristophanis comoedias superstites bene noverunt, reconditiora non attingunt. Qui tamen ab errore sibi cavere volent, non statim, quae nondum cognita fuerunt, ad Thomae vel Triclinii aetatem detrudent. Ostendit enim accurata editorum veterum scholiorum cum scriptis comparatio, passim mutila esse vulgata vetera, ut ad finem Nem. I. in Vaticano tertio (num. 121) et Caesareo primo (num. 130) perutilia quaedam leguntur, quae in editis desunt, sed in his Thomanis ex parte referuntur. Qua ratione vel Alexandrinorum grammaticorum aliquis Nem. IV, 94 (58) coniecturam *χωσάμενος* ingeniosam Mingarellio et Matthiaco praeripuisse videri possit. Ex novis enim non pauca sunt, quae antiquioris sermonis quam quo Byzantii uti solebant speciem prae se ferant, tametsi non reperiuntur inter edita vetera; quaedam (ut scholion ad N. II, 32), quae in veteris recensionis libris (ut hoc in Vat. C. et Caes. A.) ad verbum inveniantur.

---

*) Nota in Laurentiani margine (ad Pyth. II initium) adscriptum esse litteris minutissimis *ἐντεῦθεν ἐμετρήθη τὰ πίθια παῤ [ἐ]μοῦ Δημητρίου τοῦ Τρικλινίου* quae notula speciem habet chirographi ipsius Triclinii.

Exstant autem haec scholia in duobus tantum, quod sciam, codicibus, si a tertio recesseris, qui eadem cum glossis consociata et permixta habet. Sunt hi:

1. Laurentianus, qui olim fuit Abbatiae S. Mariae, Benedictinorum, Florentinae, notatus olim numero 41, nunc inter libros e coenobiis exauctoratis postliminio in Laurentianam illatos incerto numero,*) nobis cum „Ab. Flor.“ tum *a* appellatus, aliis aliter. Est maximae formae, mensurae satis grandis, papyraceus in laeva crassaque charta diligentissime et rectissime ineunte saeculo XIV scriptus. Constat nunc foliis 94, sed olim sine dubio integra Pindari carmina quum complecteretur, fere totidem altera periisse videntur. Est autem turbatus praeterea quaternionum ordo, ita, ut quae exstant ex Olympiis partim in initio, partim in calce libri inveniantur. De hoc libro, qui huius et alterius familiae Triclinianorum fons et origo est, vide quae et olim in Museo Rhenano (VI, 437) disseruimus, et nuper enucleatius in Praefatione Scholiorum Germani (XVII sqq.) diximus, brevius et tamen plenius in editione nostra (XXXII, not. 103).

2. Ambrosianus sextus, notatus S. 31. sup. 7, nobis aut „Ambr. F^{a} aut *δ* (cui crux supposita est), enumerationis nostrae 109; ubi vide notam. Codex est saeculi XV, chartaceus, forma quadratus, mensura grandis, amplitudine conspicuus; complectitur enim multa alia, ab eadem (nisi fallor) nitidissima manu conscripta, dico hymnos Orphei, Procli, Homeri; Moschi *ἔρωτα δραπέτην*; Musaei Hero et Leandrum; Callimachi hymnos cum scholiis. Inscriptio primi folii est *Liber iste est mej marci antonij de passeris sanuensis*, et *amicorum* cui in margine ad *sanuensis* *) adjectum est *patauini*. Is si primus possessor fuit, fortasse totum volumen Florentiae perscribendum curavit. Nam Pindarica certe pars, quae integra carmina, quatenus exstant, complectitur, ex tribus diversis saeculi XIV codicibus descendit, qui tres codices nunc Florentiae inveniuntur, dico Med. D (plut. 32. cod. 35), Med. B (plut. 32, cod. 52), „Ab. Flor.“ quem modo descripsimus. Pertinet igitur ad collecticiorum librorum genus, de quo in Editione (XLII sqq.) explicatius egimus. Ea autem pars, cui scholia nunc a nobis edita

*) Saltem quo numero inter hos utatur ex meis schedis non admodum liquet; notatum invenio „Badia 2639“ et „Conventi fascio 6, no. 94“ (at idem est foliorum computatorum numerus); in primo folio hoc legitur: „Est Abbatiae Florentinae. Inter codices designatur num. 41.“ *) *sanctensis?*

adscripta sunt, manifestissimum est Laurentiani apographum. Nam qui huius quaterniones temporum iniuria interierunt, eis in Ambrosiano libro alienis (quae ex Mediceo B mutuatus est) supplementis a librario provisum est, ut ex comparatis nostrae enumerationis libris 12 et 109 minutius apparebit.

Debebant quidem ex principali fonte haec edi Laurentiano. At quum Florentiae non tanta quanta Mediolani esset moderatorum bibliothecae liberalitas, temporis quod mihi concessum erat angustiae fecerunt ut in hac potius quam in illa urbe transcribendorum scholiorum copia fieret. Nec videbatur multum interesse, utro haec ex libro ederentur. Uterque planissime et curatissime scriptus est, neque nisi in minutiis quibusdam Ambrosianus alterum exemplum deseruit, id quod ex aliquot locis e Laurentiano transcriptis et cum altero codice comparatis satis apparuit. Ita ex utroque partem scholiorum, quae ad N. II pertinent, posteriorem, tum singula commatia ad N. III, 82; IV, 92; V, 11; VI, 36. 45. 90; omniaque quae ad Isthm. III exstant; — ex solo Laurentiano partem scholiorum ad. N. II pertinentium priorem; — ex solo Ambrosiano fere omnia reliqua edita habes.

Uberrimae in utroque libro glossae suppetunt, quarum maximam partem ex altero utro a me exscriptam inter scholia intercalare nunc non vacabat. Iam autem exstat illa glossarum cum scholiis coniunctio, in uno tantum codice eoque satis memorabili. Is igitur duobus illis accedit tertius:

3. Ambrosianus secundus, notatus in bibliotheca C. 22. sup., nobis aut „Ambr. B^{a} aut *ε* vocatus, num. 110. Est et ipse inter collecticios, sed secus atque sextus compositus (vide Ed. p. XLIII not.); formae quadratae, mensurae exiguae, bene sed minutis litteris scriptus, saeculi XIV exeuntis. Olim integer videtur fuisse: nunc, propter amissum fasciculum, desunt Nem. I. II. III. Deest praeterea Nem. VI. Hunc autem codicem non esse fontem amborum alterorum inde intellegimus, quod scholia illa glossis amplificata in eisdem partibus subito cessant, quae in amissis Laurentiani libri quaternionibus olim perscriptae erant. Quare ortus sit necesse est Ambrosianus secundus post amissa demum Laurentiani libri folia. Ex altero autem Ambrosiano manavit geminus Estensis A, qui quidem liber Atestinus nunc non venit in censum, cum scholiis careat. Quod par memorabile librorum retractatos Triclinianos appellavimus, quia textum,

quem in archetypo Tricliniano una cum scholiis periisse videbant, magistri exemplo et ingenio ipsi vel librarii vel discipuli videntur interpolasse. Vide quae de hac re paucis indicavimus in Ed. praef. p. XXXIII not. ad cod. 110 (ε = Ambr. B) et 111 (ζ = Est. A). Specimina, quae passim ex hoc libro retractato excerpsimus, h. l. cumulare non lubebat.

In edendi opera ita versatus sum, ut nihil mutaverim nisi interpunctionem, quae quamquam in utroque codice accuratissima est, tamen a nostra consuetudine nimium quantum discedit. Cetera quae novavi aut annotatione uncisve indicantur aut nullius pretii sunt, ut quo d accentus quosdam transposui, et talia qualia sunt *τοῦτ' ἔστιν, ἅδω, νικᾷν* in *τουτέστιν, ᾄδω, νικᾶν* commutavi.

Loci Sophoclei qui in Exercitationibus aut explicantur aut emendantur:

Oed. Reg. vs. 198. . . . . p. 1—5.
„ „ „ 200. . . . . „ 27 not.
„ „ „ 216—275. . . . . „ 5—15.
„ „ „ 276—279. . . . . „ 6.
„ „ „ 293. . . . . „ 12 sq.
„ „ „ 328. 329. . . . . „ 15—22.
„ „ „ 493. . . . . „ 23 sq.
„ „ „ 507. . . . . „ 22—27.

1097.

Schulnachrichten.

Dem trefflichen Manne, der mit dem Ende des vorigen Schuljahrs seine hiesige Wirksamkeit beschloss, gebührt unser erstes Wort. Herr Professor Dr. Johannes Classen legte, nach 10½ jähriger segensreicher Thätigkeit, bei der Progressionsfeier am 18. März 1864 sein Amt als Director des Gymnasiums nieder, um einem Rufe nach Hamburg als Director der Gelehrtenschule des Johanneums zu folgen. Das Bedauern über sein Fortgehen und die grosse Anhänglichkeit an den Scheidenden sprach sich durch Geschenke von Lehrern und Schülern und auch sonst in vielfacher Weise aus. Denn der feine Geist des vorzüglichen Gelehrten, des ausgezeichneten Lehrers, des edlen Menschen, hat tiefe und zahlreiche Spuren in dieser Stadt zurückgelassen; Amtsgenossen und Mitbürger, Eltern und Schüler werden seiner stets in Liebe und Achtung gedenken. Möge er eben so viele Freunde in seiner älteren Heimat wieder gewinnen als er in seiner jüngeren Heimat zurückgelassen hat! Die Guten verstehen sich überall, wenn sie sich gleich nicht sehen, und so wird auch zwischen dem verehrten Manne und seinen Frankfurter Freunden das Band nicht völlig abgerissen sein. Insonderheit aber wird das Gymnasium als solches, welches ihm in vieler Hinsicht zum allergrössten Danke verpflichtet ist, sein Andenken treulich in Ehren halten.

An seiner Stelle wurde zum Director des Gymnasiums durch Beschluss hohen Senats vom 19. Februar 1864 der Unterzeichnete ernannt, welcher in dem Folgenden sich erlaubt, alter Sitte gemäss, das Wichtigste von seinen Lebensumständen mitzutheilen:

„Ich bin am 23. Mai 1819 geboren, in Garding, in der Landschaft Eiderstedt (Herzogthums Schleswig), wo mein Vater (ein geborner Nordfriese) Prediger war, und

kam durch seine Versetzung schon 1821 nach Oldesloe in Holstein. Hier wurde ich mit meinen beiden Brüdern fast lediglich von dem Vater unterrichtet, bis wir in die oberen Classen der Gelehrtenschule eintreten konnten, und ihm, dem stillen, bescheidenen und genialen Manne, verdanken wir die früh erwachte und nie erloschene Liebe zum Studium der Sprachen und Litteraturen aller Art. Mit meinem älteren Bruder Theodor, und theilweise auch mit dem jüngeren August, besuchte ich von 1834 bis 1838 das Christianeum in Altona und von 1838 bis 1843 die Landesuniversität Kiel. Ueberall herrschte damals in der bessern Jugend meines Vaterlandes ein reges ideales Leben und Treiben, welches namentlich in politisch-wissenschaftlichen Vereinen seinen Ausdruck fand; es war die Zeit der höchsten Blüthe jener norddeutschen Hochschule, an der gleichzeitig G. W. Nitzsch, J. Olshausen, O. Jahn, G. Waitz, J. G. Droysen und Andere lehrten, deren ich gern noch in Liebe und Verehrung gedenke. Unter den mitstrebenden Philologen zeichneten sich nachmals mehrere wie Müllenhoff, Wilhelm Nitzsch, Samwer, Karl Lorentzen in wissenschaftlicher oder politischer Beziehung aus.

Als ich mein Examen gemacht hatte und zum Doctor der Philosophie promovirt worden war, nahm ich eine Stelle als Privatlehrer in Altona an, und wurde, nachdem ich mehrere philologische Arbeiten veröffentlicht hatte, auf Kosten meiner Landesregierung nach Italien geschickt, theils zur allgemeinen Ausbildung, theils zu dem speziellen Zwecke dort eine kritische Pindarausgabe vorzubereiten. Ich bereiste vom Juli 1846 bis zum Frühjahr 1848 Italien und Sicilien, und fand auch Gelegenheit zu einem kurzen Abstecher nach Korfu und Athen. Diese Reisen wie auch die später von Oldenburg aus nach England und Frankreich und abermals nach Italien gemachten waren einestheils immer von Glück begleitet, insofern sie befriedigende wissenschaftliche Resultate ergaben, anderntheils sind sie für mich überhaupt von grosser Wichtigkeit gewesen. Sie trugen nicht nur zur Erweiterung und Klärung der Ansichten vieles bei, sondern sie haben mir auch die persönliche Bekanntschaft und Freundschaft manches bedeutenden Mannes verschafft, ein Glück, für welches ich Gott immer vorzugsweise dankbar gewesen bin. Die beiden Winter, welche ich in Rom zubrachte, waren in dieser und in jeder andern Hinsicht überaus förderlich und genussreich. Aber die reiche Fülle von Anschauungen aus den classischen Ländern

und die mitgebrachte litterarische Ausbeute sogleich als akademischer Lehrer oder Schriftsteller zu verwerthen, ergab sich in den Wirren des Jahres 1848 keine Gelegenheit. Ich fand meine engere Heimat Sehleswig-Holstein im vollen eben so besonnenen als begeisterten Kampf um ihr gutes Recht, und glaubte auch meine Pflicht gegen dieselbe durch Eintritt in das Ranzau'sche Freiwilligencorps erfüllen zu müssen. Nach einer kurzen Betheiligung an dem Feldzuge im April und Mai wurde jenes Corps aufgelöst, und ich nahm im Herbst 1848 eine Stelle als Gymnasiallehrer in Husum an. Diese Zeit meiner ersten öffentlichen Lehrerthätigkeit war eine der glücklichsten meines Lebens, leider aber eine nur allzukurze, da mit der Schlacht von Idstedt am 25. Juli 1850 für einen deutschgesinnten Beamten keines Bleibens mehr war. Ich erhielt eine provisorische Beschäftigung am Christianeum in Altona, und habe den traurigen Winter von 1850 auf 1851 durch die Freudigkeit, mit welcher ich wie immer so auch damals als Gymnasiallehrer unterrichtet habe, leichter überstanden. Nun aber folgte eine lange Zeit der Prüfung. Unsere Verhältnisse gestalteten sich so schlecht, dass die jüngeren schleswigschen Beamten weder an eine Rückkehr über die Eider, noch an eine Anstellung in Holstein denken konnten. Ich nahm daher, obwohl mit schwerem Herzen, eine Professur am Realgymnasium in Eisenach an, wo ich vom Herbst 1851 bis Ostern 1856 viele treffliche Schüler unterrichtete und manchen herzlichen geliebten Freund gewann. Dann wurde ich Rector der höheren Bürgerschule in Oldenburg, welches Amt ich 8 Jahre lang geführt habe. Der Gewinn aus dieser Beschäftigung mit der Realschule war für mich ein doppelter; einmal veranlasste sie mich dazu eingehendere Studien im Gebiete der englischen Litteratur zu machen, anderntheils habe ich dadurch als praktischer Schulmann viel Neues und namentlich das Verhältniss des gesammten Realunterrichts zum Gymnasialunterrichte kennen gelernt. Dennoch habe ich in den genannten Stellungen, trotz vieler erfreulichen schulmännischen Erfahrungen auch auf diesem Gebiete und trotz einiger nova in der Shakespearelitteratur, die ein glücklicher Zufall mir in die Hände führte, nie volle innere Befriedigung gefunden; ich wandte also in den letzten 5 Jahren meines Oldenburger Amtes alle mir gebotene Musse wieder den classischen Studien zu. Nach einigen Veröffentlichungen dieser Art nahm die Berliner Akademie auf Böckhs, Trendelenburgs und Haupts Empfehlung sich im Jahre 1861 der

Vollendung der früher beabsichtigten Pindarausgabe an, zu welcher es namentlich eines längeren Aufenthalts in Italien bedurfte. Als hiezu nun die Oldenburger Behörden mir mit edler Bereitwilligkeit den Urlaub bewilligt hatten, wurde es mir möglich, Italien zum zweiten Mal zu bereisen und einen grossen Theil der früheren Anschauungen zu erneuern. Es gelang mir nicht nur das Wichtigste des Fehlenden nachzuholen, sondern das Glück liess mich in Mailand auf eine bisher völlig unbekannt gebliebene Handschrift des Pindar stossen, welche ich alsbald als die beste erkannte, die überhaupt vorhanden ist. Die Ausgabe, welche sich auf diese Ergebnisse stützt, war zum grossen Theil fertig, als mit dem Winter von 1863 auf 1864 die schleswig-holsteinische Sache plötzlich eine glücklichere Wendung bekam, und ich war eben im Begriff, Schritte zu thun welche meine Rückkehr in das engere Vaterland vorbereiten sollten, als mich der ehrenvolle Antrag, das hiesige Gymnasialdirectorat zu übernehmen, überraschte. Wie gern ich aber auch mich wieder mit ungetheilter Thätigkeit den classischen Dingen zuwende, doch wird man es mir nicht verargen, wenn ich sage, dass mir die Trennung von Oldenburg schwer geworden ist. Wenn man geliebte und herzlich ergebene Schüler, wenn man Collegen von der grössten Treue und Biederkeit, mit denen man so manche Stunde in Scherz und Ernst verlebt hat, mit denen man ein Herz und eine Seele geworden ist, verlässt, so wird es Einem wehmüthig zu Sinne, und es ist als risse auf einmal ein Stück Leben, und schönes geistiges Leben, ab. Doch kann ich nicht umhin die Hoffnung auszusprechen, dass ich hier in reichem Masse wiederfinden werde, was ich in Oldenburg aufgegeben habe, und dass ich die grosse Freundlichkeit, mit der man mir hier entgegenkommt, dankbar anerkenne."

Diesem Lebensabriss füge ich ein Verzeichniss meiner hauptsächlichsten Schriften hinzu. Sie zerfallen nach meinen Berufsverhältnissen in zwei Abtheilungen.

Der classischen Philologie gehören folgende Arbeiten an:

De Aristotelis poetica. Kiliae 1842.

Pindaros. Zur Geschichte des Dichters und seiner Zeit. Kiel 1845. (Schwers.)

Uebersetzung des Pindar. Leipzig 1846. (E. Fleischer.)

Ueber Pindarhandschriften im Rhein. Museum und in der Zeitschrift f. d. Alterth. 1847. 1848.

Aufsätze über Pindar, Aeschylus, Babrius, Sophocles etc. ebendaselbst, in Jahn's Jahrb. und im Philologus.

Scholia Germani. Kiliae. 1861. (Homann).

Ueber Kritik, Exegese und Versabtheilung bei Pindar. Oldenburg 1863.

Pindari Carmina cum Annot. Crit. suppl. Berolini vol. 1 et 2, a. 1864. (Weidmann.)

Scholia Thomano-Tricliniana. 1865.

Der sogenannten modernen Philologie dagegen:

Marlowe u. Shakespeare. Eisenach. 1854.

Der Perkins-Shakespeare. Berlin 1854. (G. Reimer.)

Uebersetzung des Macbeth in dem Schlegel-Tieckschen Shakespeare (1855); Revision dieser Uebersetzung (1853—1855).

Recension der Delius'schen (ersten) Hamlet-Ausgabe in Jahn's Jahrbüchern. 1855. (Band 72, 2. 3. 4.)

Pericles, Prince of Tyre. Oldenburg 1857. (Stalling).

Romeo and Juliet. Oldenburg 1859. Stalling.

Kleinere Aufsätze und Recensionen im Londoner Athenaeum, Literar. Centralblatt, Jahrbuch f. d. rom. u. engl. Lit. u. s. w.

Ausserdem mögen noch einige allgemeinerer Art erwähnt werden, z. B.

„Flüchtige Gedanken über Real-und Gelehrtenschulen." (1853) in den „Grenzboten".

„Ueber das Trauerspiel Bernhard v. Weimar." u. A. m. ebend. 1855.

„Die Kunst des deutschen Uebersetzers." (1855) Leipzig. 1858. (Gumprecht.)

„Die Schillerfeier der höheren Bürgerschule." Oldenburg 1860.

„Ueber die Wiedereinführung des Lateinischen auf der höh. Bürgerschule." Oldenburg. 1860 (im Osterprogramm.)

„Zur Geschichte und Litteratur der franz. Revolution." Oldenburg 1861.

Dem Lehrer der Geschichte Herrn Dr. Creizenach wurde durch Beschluss hohen Senats vom 26. März 1864 in Anerkennung seiner bisherigen Leistungen der Titel eines Professors verliehen.

Herr Professor Johann Konrad August Weismann, seit Ostern 1831 Lehrer am Gymnasium (angestellt durch Decret vom 20. Sept. 1831), seit Ostern 1853 Haupt-

lehrer der Secunda, trat durch Beschluss hohen Senats vom 19. August 1864 in den wohlverdienten Ruhestand. Am 23. Sept. 1864 nahm derselbe in einer sehr angemessenen und würdigen Rede, welche ihren Eindruck nicht verfehlte und auf welche von dem Unterzeichneten einige Worte des Dankes und der Anerkennung erwiedert wurden, von dem versammelten Coetus der Prima und Secunda und dem gesammten Lehrercollegium feierlich Abschied. Wir begleiten den edlen und feinsinnigen Mann, den treuen und herzlich geliebten Collegen, der die beste Zeit seines Lebens mit unermüdlichem Eifer dem Wohle dieser Anstalt gewidmet hat, für seine späteren Tage mit den besten Wünschen.

Gleichzeitig wurde zum ordentlichen Lehrer der Adjunct am Joachimsthalischen Gymnasium in Berlin, Herr Dr. Julius Baumann ernannt, dessen Lebensumstände er selbst mittheilt, wie folgt:

„Mein vollständiger Name ist Johann Julius Baumann; ich bin am 22. April 1837 geboren, ein Sohn des hiesigen Bürgers und Bürstenbindermeisters Johann Heinrich Baumann, evangelischen Glaubens. Nach dem frühen Ableben meines Vaters verheirathete sich meine Mutter in zweiter Ehe mit dem Bürstenbindermeister Franz Bohna. Von meinem 6. bis zu meinem 14. Lebensjahre besuchte ich die hiesige Volksschule zu Weissfrauen. Durch den Confirmandenunterricht wurde ich Herrn Pfarrer Dr. Steitz bekannt, der mich im Lateinischen unterrichtete, Ostern 1851 auf das hiesige Gymnasium brachte, und sich meiner weiter bis heute mit väterlicher Fürsorge angenommen hat. Von Ostern 1856—1860 besuchte ich die Universitäten Heidelberg, Göttingen, Berlin, philologischen, theologischen und philosophischen Studien ergeben. Ostern 1860 machte ich in Berlin das Oberlehrerexamen für classische Philologie und die verwandten Fächer, dann im Sommer das erste theologische Examen hier; im Herbst desselben Jahres wurde ich durch Herrn Director Kiessling nach Berlin an das Joachimsthal gezogen, wo ich ein Jahr als Hilfslehrer beschäftigt war und im Herbst 1861 am Gymnasium und Alumnat als ordentlicher Lehrer und Adjunct angestellt wurde. Dann habe ich das zweite theologische Examen an hiesigem Orte abgelegt, und in Berlin in Philosophie promovirt. — Ende Sommer 1864 bin ich von hohem Senate an das hiesige Gymnasium als ordentlicher Lehrer berufen worden, welche Stelle ich mit dem 1. October genannten Jahres angetreten habe. — Im Druck sind von mir erschienen

mehrere philologische Aufsätze in Fleckeisen's Jahrbüchern, einige philosophisch-kritische Besprechungen in der Berliner Zeitschrift für Gymnasialwesen, und eine Abhandlung: doctrina Cartesiana de vero et falso etc.“

Mit dem Herbst 1864 wurden Zeichnen und Singen durch Beschluss des Hochwürdigen Consistoriums zu obligatorischen Lehrgegenständen für alle Classen mit Ausnahme der Prima und Secunda. Die beiden Herren, welche diesen Unterrichtszweigen bisher vorgestanden hatten, Herr Nicolaus Hoff (Zeichenlehrer seit dem Herbst 1843) und Herr Karl Meggenhofen (Gesanglehrer seit Ostern 1844), wurden emeritirt, und es giengen diese Fächer in die Hände der Herren Heinrich Hasselhorst (Consistorialbeschluss vom 7. Sept. 1864 und SC. vom 24. Januar 1865) und August Mauss (SC. vom 20. Sept. 1864) über. Sie geben von ihrem Leben folgende Nachrichten:

„Johann Heinrich Hasselhorst, Sohn des hiesigen Bürgers und Kammachermeisters Conrad Peter Heinrich Hasselhorst, wurde den 4. April 1826 geboren. Seinen Schulunterricht erhielt er in der Weissfrauenschule. Von 1842 an genoss er des Unterrichts der Malerschule in dem Städelschen Kunstinstitut, um sich als Künstler auszubilden. Als Auszeichnung wurde ihm 1852 eine Reiseunterstützung zur Pariser Bilderausstellung zu Theil, 1855 eine abermalige, um zu seiner weiteren Ausbildung auf 2 Jahre nach Italien zu gehen. Nachdem er daselbst 5 Jahre geblieben war, erhielt er das Anerbieten als Lehrer in das Städelsche Kunstinstitut einzutreten, die Anstalt, welcher er seine ganze künstlerische Ausbildung zu verdanken hat. Ein halbes Jahr darauf ergieng an ihn die Aufforderung von Herrn Dr. Georg Berna, ihn auf einer Reise nach dem hohen Norden zu begleiten. Im October 1864 erhielt er die Anstellung als Zeichenlehrer am hiesigen Gymnasium.“

„August Mauss wurde am 31. Juli 1827 in Runkel an der Lahn geboren, woselbst sein Vater Lehrer und Cantor war. Behufs seiner Ausbildung als Lehrer besuchte er das Seminar in Idstein. Nachdem er dasselbe im Jahre 1846 verlassen, wurde er anfänglich als Lehrer in Wisper und vier Monate darauf an der Stadtschule zu Wiesbaden angestellt. Am 13. Februar 1849 erhielt er laut Beschluss hochwürdigen evan-

gelisch-lutherischen Consistoriums dahier eine Lehrerstelle in Bornheim, welche er bis zum 5. Mai 1854 bekleidete, eine Unterbrechung von 6 Monaten abgerechnet, während welcher Zeit er als nassauischer Militärpflichtiger im März 1849 den Feldzug nach Schleswig-Holstein mitmachen musste. Vom Mai 1854 bis Ende April 1857 wirkte er an der Schönbornerhof-Schule und seit dieser Zeit an der höheren Bürgerschule dahier, nachdem er im Juli 1857 laut Beschluss hohen Senates seine definitive Anstellung als „Lehrer an den evangelisch-protestantischen Bürgerschulen“ erhalten hatte. Anfänglich mit der Führung der 4. Mädchenclasse und mit dem Gesangunterrichte in allen Mädchen- und den oberen Knabenclassen der höheren Bürgerschule betraut, wurde ihm später der gesammte Gesangunterricht allein übergeben. Im Jahre 1860 bestand er behufs seiner Anstellung als Organist an der Weissfrauenkirche vor der von dem evangelisch-lutherischen Gemeindevorstand erwählten Commission ein Orgelexamen und wurde darauf als Organist angestellt, gab diese Stelle jedoch zu Ostern 1864 wieder auf. Bis zu dieser Zeit hatte derselbe auch unter Nehrlich mehrere Gesangstudien gemacht. Durch Beschluss hohen Senates vom 20. September 1864 wurde er als Gesanglehrer ans Gymnasium berufen und hofft diese seine Stellung, unbeschadet seines Wirkungskreises an der höheren Bürgerschule, unter dem Beistande des Höchsten, treu und gewissenhaft ausfüllen zu können.“

Auch in Betreff des Turnens steht eine ähnliche Aenderung bevor, indem dasselbe, gemäss dem Beschlusse hochwürdigen Consistoriums vom 25. Januar 1865, von Ostern 1865 an einem eigenen Turnlehrer, dem Herrn Simon Ravenstein, anvertraut werden wird. Bisher hat Herr Professor Schmidt mit Aufopferung seiner Zeit und Kraft dasselbe geleitet, wofür ihm die Schule zu bestem Danke verpflichtet ist.

